



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 19. Cardinalis Poli mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](#)

gnosceret, exinde animi sui ægritudo Sæcul. XVI.  
indies magis, magisque crescebat. Tan- A.C. 1558.  
dem Caletensis Urbis jaætura illam ad  
eum redigebat statum, ut non nisi pau-  
corum confortium sustineret, ejusque  
corpus ipsam animi mœstitia confe-  
ctum indies viribus exhauriretur: unde  
stomacho ultra modum tumescente tan-  
dem hydropis morbo laborare declara-  
batur, qui cum etiam jam ineunte Men-  
se Novembri semper magis augeretur,  
die decima septima ejusdem Mensis  
consumpta obiit, postquam annos qua-  
draginta tres ætatis suæ, Regni vero  
quinque, ac quatuor Menses, diesque  
undecim expleverat.

## §. XIX.

*Cardinalis Poli mors.*

Inter hujus Reginæ, ac Cardinalis Poli *Ciacon. in  
vit. Pont.*  
obitum nonnisi sexdecim horarum  
spatum intercedebat; hic enim illa *t. 3. p. 627.  
seq.*  
nocte, quæ decimam septimam a de-  
cima octava ejusdem Mensis Novembris  
die separat, mortalitatem exuit: post-  
quam Anno Christi millesimo quingen-  
teimo Mense Martio, vel Mayo natus  
non nisi annos quinquaginta novem vi-  
xerat. Referunt Scriptorum nonnulli,  
quod accepto nuntio de Mariæ Reginæ  
obitu tanto dolore fuerit affectus, ut  
*Thuan. l. 6.  
Goduin de  
Præsul.  
Angl. in  
Arch. Cantab.*  
crucem suam sibi tradi postulaverit, &  
Cruci-

**Sæcul. XVI.** Crucifixi imaginem sacro osculo complectens exclamaverit: *Domine salva nos, perimus, Salvator Mundi, salva Ecclesiam tuam.* Vix hæc verba proferebat, cum ad supremas mortis angustias redactus humanis rebus valediceret. Passim deprædicatur Polus tanquam illustrissimus omnium Præfulum, quos ullo unquam tempore Anglia produxit: insuper omnes Scriptores, imo ipsi etiam Protestantes eximii, quo excelluit ingenii aciem, eruditionem, prudentiam, moderationem, charitatem, animumque a proprio quæstu alienissimum insignibus elogiis commendant; quippe generis sui nobilitate, præclarisque animi dotibus uberrime præeditus non nisi cum vilipensione negligebat abjecta illa media, quibus profani homines ad augendam rerum suarum fortunam utuntur; nam sua morum lenitate, animique moderatione impulsus unice desiderabat, ut Angli ad avitam Religionem honestis, ac legitimis viis reducerentur, ægre ferens, si gladii, rogiique supplicia adhibere necesse fuerit, quinimo si ceteri usitatam Poli mansuetudinem, ejusque consilia fuissent secuti, forte Angliæ Regnum cum Sede Apostolica penitus reconciliatum vidissemus. Ceterum Corpus ejus in funebri pegmate per quadraginta dies expositum,

ac

ac Cantuariam delatum tandem in Sa- **Sæcul. XVI.**  
cello D. Thomæ ab ipso constructo ter- **A.C. 1558.**  
ræ mandatum fuit, addita humili hac  
inscriptione latina: *Depositum Cardina-  
lis Poli.*

## §. XX.

*Hujus Cardinalis opera.*

**H**ic idem Cardinalis quædam ingenii *Pitsens de  
Teript.  
Aagl.*  
sui monumenta posteris reliquit, in *Becatel. vit.  
Poli Dupin.  
Bibl. des  
Auth. Eccl.  
t. 16. p. 41.*  
quibus profunda ejus eruditio, ac sin-  
gularis eloquentia luculentius elucet,  
quamvis ceteroquin Pembum, Sado-  
letum, & Longolium latini sermonis  
puritate non adæquet. Scripsit Polus & seq.  
præprimis pro Ecclesiastice unitatis, ac  
unionis Ecclesiæ defensione tractatum, in  
quatuor libros divisum, atque Anno  
Christi millesimo quingentesimo quin-  
quagesimo quinto Argentinensibus lite-  
ris excusum, in quo contra Henrici VIII.  
schisma vehementer declamat, nec mi-  
nus edidit ad Dialogi normam inter  
ipsum, & Cardinalem Urbinatensem,  
duos libros de summo Pontifice Christi  
in terris Vicario, ejusque officio, & po-  
testate, in quo opere præcipue demonstrat,  
quod Christus Dominus in terris suum  
reliquerit Vicarium, primusque fuerit  
D. Petrus, ac postea ejusdem Succes-  
sores, ut proin hoc ipsum Vicarii officium  
sit perpetuum: Porro cum de ejusdem  
digni-